

profitemur, in gluuie, luxuque conuiuiorum  
 & comedationum, tum bestijs plerisque, tum  
 hominum illis, qui religionis nostrae verita-  
 tem vel olim, vel hodie non agnouerunt, su-  
 mus deteriores. Sed Turcas nobis esse frugali-  
 ores, Socratem in conuiujs nunquam am-  
 plius quam domi ingessisse: Lucullum trium-  
 phalem senem in Capitolio epulantem, à ser-  
 uo suo manu à patinis deducta temperantiae  
 admonitum, cui ille hanc de se præfecturam  
 dederat: Epicurus voluptatis patronum pane  
 & aqua nonnunquam vicitare solitum,  
 quod maiorem ex hac frugalitate volupta-  
 tem quam vel regijs epulis postridie se percipi-  
 pere dictitaret: & quod diuus Paulus ebrio-  
 sis minatur, eternæ beatitudinis eos neuti-  
 quam fore particeps: haec & his similia alij  
 declament. Ego me intra medicæ professio-  
 nis terminos continebo: nec aliud dicam, nisi  
 morbos omnigenos grauiissimosque, et quam-  
 plurimos, ex hoc tanquam seminario pullu-  
 lare. Nam si crapula & ebrietas ea in nobis  
 mala concitant, quæ supra enumeravi: mul-